



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XXXVI. De Henrico de Plauen Magistro Generali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

potuisset, si tantam cladem tunc fuissent passi. Absurdus plane est Commendator Vincentii Kadlubkonis Polonici Scriptoris, qui centum & triginta millia & quadringentos de Cruciferorum exercitu cecidisse scribit *in Comment. ad lib. II. Epist. 14. p. 145.* Quantum Polonorum hic loci occisorum fuerit numerus itidem parum compertum est. Sunt qui sexaginta millia numerant, alii numerum augent. Chronicon quoddam, quod citat Hennebergerus, dicit centum triginta quinque millia Polonorum, Tartarorum & Russorum periisse. Sed fides habenda est Auctori nostro, qui hæc ex iis habet, qui ipsi pugnae interfuerunt. Vid. Caspar. Henneberg *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 446.* Casp. Schuz. *lib. 3. Chron. Pruss. fol. 102.* Matthias de Michovia *lib. 4. c. 43.* Jodocus Ludovicus Decius *lib. 2. de Familia Jagellonis.* Cromerus *lib. 16.* Herburus *lib. 13. c. 5.* Joach. Cureus *in Chron. Siles. fol. 119.* Salomon Neugebauerus *lib. 5. Hist. Polon. pag. 270.*

CAP. XXXVI.

De

Henrico de Plauen Magistro Generali.

POST mortem Ulrici de Jungingen in bello interfecti, (a) electus est Henricus de Plavven, Dominica ante Festum S. Mariæ, cujus electioni interfuerunt (b) Magister de Almannia & Livonia. Tunc Civitates hujus terræ ad Dominos nostros redierunt, quæ post bellum compulsæ Regi Polonorum homagium præstiterunt.

ANIMADVERSIONES.

(a) Vel potius se ipsum elegit. Post pugnam enim Tannebergensem non nisi tres Ordinis fratres ex potentiori Nobilitate superstites fuere, nimirum Henricus Reus à Plauen Vicesgerens Magistri generalis & Commendator Schvvetzæ, Michael Sternbergius Provisor Neofori, & Henricus Reus à Plauen prioris Henrici patruelis Commendator Gedanensis. His ceteri Fratres liberam, quem ex numero suo vellent, eligendi potestatem detulerunt. Alter Plavenio-

veniorum & Sternbergius, ut numerum Candidatorum imminuerent, specie honoris Vicesgerentem hinc excludere conati sunt. Concesserunt enim ipsi soli jus Magistri eligendi, certâ spe freti, Plavenium non se ipsum, sed modestiâ gratia unum ex illis Magistrum Ordinis generalem proclamaturum. Sed Plavenius Vicesgerens, præter spem, semetipsum, ut sibi proximus, Magistrum Ordinis Teutonici proclamavit. *Vid. Schuzius lib. 3. Chron. Pruss. fol. 105.*

(b) Electioni Magistri generalis ex lege solebant interesse Magistri Proviaciales, ut habetur in Consuetudinibus Ordinis.

CAP. XXXVII.

De

Obsidione castri Mariæburg.

POST obtentam victoriam & spoliolum divisionem præfati Principes Rex Polonia & Witoldus cum exercitu suo magno & sorti antè Mariæburg venerunt, castrum circumvallantes triplici exercitu. Primus fuit Regis Polonia, qui jacebat circa S. Georgium, & in Wildenberg. Secundus fuit Witoldi Lithvanorum & Ruthenorum, qui jacebat in pomœrio & horto castri in via, qua itur in Elbingum. Tertius exercitus fuit Tartarorum, qui sistebat in pratis castri, & circa fluvium Nogot. Omnes isti iptum castrum machinis, bombardis & aliis instrumentis impetu potentissimo die noctuque impugnabant, per menses duos & ultra. Videntes autem Poloni, quod nihil ad libitum perficerent, quia Castrenses fortissimè resistebant, diversas excogitabant fraudes & versutias, quomodo more vulpino Civitates & castra obtinere possent, & non sunt fraudati à desiderio suo. Quinimò Civitates aliquas per fraudes & dolos obtinuerunt, ut Thorun Civitatem cum castro; **Strasburg** castrum cum Civitate; Svetze oppidum sine castro, & consequenter Christburg, Osterode, Grudentz, Redden, Stum, & sic de aliis. Sed

lil 3

quia